A. D. 1914. Nrus IV.

CURRENDA

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS.

DECRETUM

DE SACERDOTIBUS IN CERTAS QUASDAM REGIONES DEMIGRANTIBUS.

Ethnografica studia, quae postremis hisce annis in plurimis Americae civitatibus confecta sunt, evidentissime comprobarunt, migrationen in eas regiones sacerdotum, qui pietate, doctrina vitaeque disciplina plene instructi non sint, non modo catholicae fidei detrimento esse solere, sed etiam in gravem ipsorum perniciem cadere: apparuit quoque, quanta sapientia eiusmodi demigrationem sacrae Congregationes Concilii et de Propaganda Fide, latis ea de re legibus, moderatae sint et circumscripserint.

Tam late enim eae patent dioeceses ferme omnes; ea inde consequitur remissio Pastoralis vigilantiae, praesertim in sacerdotes advenas; tanta incidunt pericula et impedimenta e sectarum frequentia, ex perpetuo cum acatholicis commercio, ex ea, quae ibi in plurimis obtinet, libertate et ex aliis rerum locorumque condicionibus, ut ipsi boni, cum maxima non sustinentur virtute, paullatim tepescant, qui vero et doctrinae subsidio carent et vix ulla nituntur disciplina vitae, a recta via saepe deflectant, et non raro cum maxima fidelium offensione et religionis detrimento ad extrema deveniant, adeo ut, qui magistri esse debebant veritatis, ii ministri efficiantur erroris et impietatis.

Quapropter complures probatissimi viri, ac praesertim illarum regionum Episcopi, tum coram, tum scriptis, ab Apostolica Sede efflagitarunt, ut huic tanto malo novis iis vellet subvenire remediis, quae tempus postulasset.

Re itaque in plenariis S. Congregationis Consistorialis comitiis disceptata, Emi Patres censuerunt novum ferendum esse Decretum, quo, confirmatis praescriptionibus a S. Congregatione Concilii aliquot ante annos providenter editis, ea adderentur, quae, de Episcoporum complurium consilio et experientia duce, necessaria vel opportuna visa essent.

Cum autem Ssmmus D. N. Pius PP. X sententiam Emmorum Patrum probaverit, de eius mandato haec statuuntur ac publici iuris fiunt, sancte et ex conscientia ab omnibus, ad quos spectat, servanda.

CAPUT I.

De sacerdotibus in perpetuum aut ad diuturnum tempus migrantibus.

Integra lege S. Congregationis de Propaganda Fide de sacerdotum orientalis ritus migratione, quod attinet ad clerum saecularem latini ritus, haec in posterum lex esto:

1. Nulli fas sit in Americam et ad insulas Philippinas migrare, nisi *bonum testimonium habeat intemeratae vitae, in operibus sacri ministerii cum laude spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles, ad quos transire postulat, necnon moralem certitudinem praestet, numquam a se maculatum iri sacerdotalem dignitatem,* prout S. Congregatio Concilii, decretis d. 27 iulii 1890 et d. 14 novembris 1903 latis, statuit et sanxit.

2. Qui vero bonum testimonium habent, de quo supra, quamvis cum Ordinario eius loci, in quem conferre se cupiunt, agere possint, ut in eius dioecesim excipiantur, iis tamen migrare ne liceat, nisi ante episcopus loci *ad quem* se eos excepturum spoponderit, concesso aliquo ecclesiastico officio, et Ordinarius eorum proprius discessoriales litteras in forma specifica dederit, secundum ea, quae infra praescribuntur.

3. Ordinarius loci *ad quem* neque excipiat neque se excepturum promittat sacerdotem, ante quam, directo permutatis cum episcopo eiusdem proprio secretis litteris, certo testimonio eum sciverit esse dignum, quem ad normam art. 1. admittat.

Ordinarius vero loci *a quo* discessorialibus ad migrandum litteris sacerdotem ne muniat: *primo,* nisi is ex aliquo canonico titulo ad suam pertineat dioecesim; *secundo,* nisi iure possit testimonium de eo ferre bonum; *tertio* denique, nisi ante ex litteris Ordinarii loci *ad quem* sibi constiterit eumdem sacerdotem ibi acceptum iri et aliquo functurum esse officio.

De quarum omnium observantia praescriptionum conscientia Ordinariorum graviter oneratur.

4. Discessoriales litterae demigrationis causa ab Ordinario sacerdotis proprio non ad quemlibet Ordinarium in genere dandae sunt, sed plane nominatim ad ipsum loci in *quem* Ordinarium, et, praeter consuetum testimonium, exhibere debent notas aetatis hominisque individuas, quibus ita figura habitusque personae describatur, ut eius circa *identitatem* nemo decipi possit. Litterae, quae sint aliter exaratae, nihil valeant et habeantur nullae.

Hac tamen cura exarandi eiusmodi litteras Italiae episcopi relevantur, qui, peractis iis, quae in superiore articulo praescripta sunt, rem deferent ad sacram hanc Congregationem, quae scriptis licentiam dabit, cum utroque Ordinario communicandam.

5. Hoc autem erit proprie ac peculiariter iis servandum, qui ad Philippinas insulas sint migraturi: ut veniam migrandi, si ex Europa sint, a sacra hac Congregatione Consistoriali petere sine ulla exceptione debeant; si vero sint

ex America, a Delegato Apostolico, qui Washingtoniae C. D. sedem sui honoris habet; integris, ad reliqua quod attinet, regulis superius statutis.

6. Sacerdotibus, qui iam in aliquam demigraverint dioecesim, ab hac in aliam in perpetuum vel ad diuturnum tempus discedere ne liceat, nisi assenserint tum Ordinarius proprius, tum primae Ordinarius commorationis; si vero agatur de italis sacerdotibus, accedat praeterea oportet sacrae huius Congregationis venia.

7. Religiosi e claustro dimissi, cum in aliqua dioecesi sunt stabili ratione incardinati, condicione pares habeantur, ad migrationem quod attinet, sacerdotibus e clero saeculari; sin aliter, iis ad migrandum opus erit peculiari sacrae huius Congregationis indulto.

8. Sacerdotes, qui, hac lege non servata, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant; qui nihilo minus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant; quibus a poenis absolvi non possint nisi a sacra hac Congregatione.

De sacerdotibus ministerium suum spirituali migrantium fidelium bono exhibentibus.

9. Leges de sacerdotibus migrantibus latae eos quoque attingant sacerdotes, qui, aut in itinere transmarino aut in exteris commorationis locis, Europa minime excepta, agricolis aliisque operariis demigrantibus suum praestant ministerium, sive curam hanc sponte sua suscipiant, sive ad hoc assumantur officium ab aliquo ex iis *Operibus*, quae in migrantium commodum providenter hac nostra aetate instituta sunt.

Peculiares Normae ad locorum Ordinarios.

10. Episcopi Americae aliorumve locorum de sacerdotibus advenis, qui in suas migraverunt dioeceses, diligenter inquirant, habeantne ii legitimum permanendi indultum, aut certum quoddam permanendi ius consecuti sint vel per incardinationem vel per decennalem legitimam commorationem; quos, si eiusmodi indulto aut iure carere et ceteroqui fidelibus inutiles esse cognoverint, congruenti termino iis praefinito, ad Ordinarios proprios dimittant.

Eadem haec Europae etiam episcopi servent, cum de sacerdotibus agitur, qui, delato sibi munere spirituali migrantium bono consulendi, in ipsorum dioecesibus degunt, quotiescumque noverint eos fidelibus noxios esse vel inutiles.

11. Optimum autem illud ac maxime optandum, ut earum regionum episcopi, unde crebrius demigrari solet, consilia inter se conferant et constituant, qua ratione possint commodius fidelibus suis in remotas alterius linguae regiones abeuntibus comparare sacerdotes, suae linguae gnaros et pietate, doctrina ac prudentia conspicuos; quemadmodum vero Ssmmus D. N. migrantibus ex Italia prospexit, sic, vel alia simili ratione, aliquem unum seligant ex Ordinariis, qui ceterorum vice hoc in negotio fungatur, ut exterarum regionum episcopi eum coram vel scripto adire possint, cum sacerdotes ad spiritualem demigrantium procurationem idonei sibi opus sunt.

CAPUT II.

De sacerdotibus, qui ad breve tempus proficiscuntur.

12. Sacerdotibus, qui, ad breve tempus, ob honestam vel necessariam causam sint in Americam vel ad Philippinas insulas profecturi, possunt Ordinarii discessoriales litteras concedere, inconsulto quidem Ordinario loci *ad quem*, at servatis tamen regulis, quae sequuntur:

13. In litteris discessorialibus, praeter reliqua, mentio expressa fiat de causa temporarii discessus.

14. Ad quatuor menses coarctetur dierum itineris et mansionis licentia; sex mensium concedatur nulli, nisi casus aliquis extra ordinem inciderit.

15. Sacerdoti haud omni ex parte probato discedendi venia ne detur, nisi ante de honesta simul et necessaria abeundi causa constiterit; praeterea Ordinario loci *ad quem*, secretis litteris, adventus eius renuntietur.

16. Itali autem sacerdotes, quandoque ob honestam et temporariam causam profecturi sunt, prius impetrent veniam discessus a sacra hac Congregatione.

17. Qui, denique, ob temporariam causam discesserunt, elapso temporis spatio sibi concesso, regrediantur, nullamque habeant Ordinarii prorogandae licentiae semel datae facultatem.

Quodsi aut infirmitate aut alia quadam peremptoria causa regressus necopinato impediatur, postquam de rei veritate et de dispensationis necessitate constiterit, ad primum insequentem mensem prorogare tempus liceat episcopo loci; ultra mensem, causis etiam indulti permanentibus, nonnisi Nuntiis vel Delegatis Apostolicis, qui ibidem versantur, indultum prorogare liceat ad congruum sed breve tempus, ea lege, ut id ne cunctentur aut episcopum sacerdotis proprium aut sacram hanc Congregationem edocere.

Qui vero sacerdotes hanc deliquerint regulam, suspensi maneant a divinis.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae e S. C. Consistoriali, die 25 martii 1914.

† C. CARD. DE LAI, Episcopus Sabinen., *Secretarius*.

S. Tecchi, *Adsessor*.

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS.

I.

DECRETUM.

INSTITUITUR COMMISSIO NOVIS SODALITATIBUS EARUMQUE CONSTITUTIONIBUS ADPROBANDIS.

Peculiari curae iamdudum Apostolicae Sedi fuit novarum Sodalitatum approbatio, earumque Constitutionum recensio, quae quidem optimo iure solita est usque adhuc inter maioris momenti negotia haberi et S. Congregationis

EE. Patrum studio ac sapienti iudicio reservari. Cum autem cuiuslibet Instituti approbatio itemque Constitutionum recensio gravem postulet laborem, qui gravior profecto aestimandus erit, rerum si copia consideretur, quibus EE. Patres in plenariis coetibus dant operam, Ssmmus Dominus noster Pius PP. X. referente infrascripto S. Congregationis Religiosorum Praefecto in audientia die 17. martii 1914. decernendum censuit, ut huiusmodi munus, quoad novas Sodalitates votorum simplicium, ad Commisionem quorumdam Consultorum in posterum deferretur. Vi igitur ac tenore praesentis Decreti, specialis Consultorum Commissio, praeside Cardinali S. Congregationis Praefecto, auctoritate apostolica constituitur, eidemque deferuntur omnia, quae ad novi cuiuslibet Instituti votorum simplicium eiusdemque Constitutionum examen et approbationem attinent, nisi speciali ex causa, vel exortis inter Commissionis Consultores gravibus opinionum discrepantiis, Cardinalis Praefectus opportunius iudicaverit ad Emmorum Patrum coetum rem deferre. Ordo ac ratio a Commissione servanda peculiaribus *Normis* continetur. Commissionis autem membra e Consultorum S. Congregationis ipse Cardinalis Praefectus deliget.

Datum Romae, 24 martii 1914.

O. Card. CAGIANO DE AZEVEDO, *Praefectus.*

F. Cherubini, *Sub-Secretarius.*

II.

NORMAE PECULIARES.

SERVANDAE IN RECENSIONE ET ADPROBATIONE NOVI INSTITUTI EIUSDEMQUE CONSTITUTIONUM.

Per Decretum hac die 24. martii 1914. datum, et a Cardinali S. Congregationis Religiosorum Praefecto subsignatum, examen et approbatio novarum Sodalitatum votorum simplicium earumque Constitutionum remissa sunt speciali Commissioni Consultorum S. Congregationis, Praeside Cardinali Praefecto. Nunc ad eiusdem Decreti normam hae statuuntur leges a Commissione servandae:

1) Cuiusvis instituti moderatores, cum approbationem eiusdem seu Constitutionum exoptant, ad Secretariam S. Congregationis, una cum supplici libello rite subsignato, ac authenticis litteris testimonialibus Antistitum locorum, in quorum dioecesibus seu territoriis Instituti domus reperiantur, decem saltem exemplaria Constitutionum mittant, itemque alia documenta, ex quibus verus Instituti status personalis, moralis et oeconomicus dignosci possit. Memoratae vero litterae testimoniales, quae ab Ordinariis obsignari debent, inviolatae S. Congregationi exhibendae sunt.

2) Cardinalis Praefecti pro tempore erit e Commissionis Consultoribus unum designare, qui, ad nutum eiusdem Praefecti, Secretarii munere fungatur.

3) Pro unoquoque examine instituendo Cardinalis Praeses ex Commissionis Consultoribus unum deputet, eique ex officio documenta tradat, quae ad Secretariam S. Congregationis pervenerint.

4) Consultor designatus documenta rite ac sedulo perpendat, atque super eisdum suum votum scriptis proferat.

5) Consultoris votum, typis impressum, una cum Constitutionum exemplari, decem saltem ante diebus, quam Commissionis coetus habeatur, singulis membris distribuatur.

6) Impressionis aliique necessarii sumptus ab Instituto, cuius interest, suppeditari debent, ideoque ab eiusdem moderatoribus congrua pecuniae summa apud arcam S. Congregationis deponenda est, pro prudenti Secretarii eiusdem Congregationis arbitrio, in unoquoque casu determinanda.

7) Consultoribus Commissionis membris, quatenus in Domino id expedire iudicaverint, ut plenius de re cognoscant, partes interesse habentes excipere atque audire licebit.

8) In examinandis et approbandis novis Institutis seu Constitutionibus, Commissio prae oculis habeat omnia, quae statuta inveniuntur in SS. Canonibus, in RR. Pontificum Constitutionibus et praesertim in *Normis* S. Congregationis EE. et RR., in Decretis S. Congregationis Religiosorum.

9) Constituta die Consultores, quibus praesidebit Cardinalis Praefectus vel, ipso impedito, S. Congregationis Secretarius, in unum convenient, et collatis sententiis per suffragia singillatim declarabunt sitne et quomodo Sodalium precibus satisfaciendem.

10) Exortis quandoque gravibus opinionum discrepantiis, Cardinalis Praefecti erit decernere opportunum necne sit rem Emmorum Patrum coetui diiudicandam reservare.

11) Cardinalis Praefectus Commissionis consulta seu resolutiones, ab ipso subsignatas, Ssmmi definitivae approbationi subiciet, ac deinde, more consueto, per Secretariam S. Congregationis exsecutioni demandandas curabit.

Romae, die 24 martii 1914.

O. Card. CAGIANO DE AZEVEDO, *Praefectus.*

F. Cherubini, *Sub-Secretarius.*

Nr. 2922. Visitatio canonica Decanatus Radłowensis.

1. Die 12. Maii a. c. horis pomeridianis ad Bielcza veniemus ibique die 13. Maii sacris fungemur officiis.
2. Diebus 14. et 15. Maii in Borzęcin,
3. Diebus 16. 17. et 18. Maii in Radłów cum Zabawa et Zdrochec,
4. Diebus 19. et 20 Maii in Wietrzychowice,
5. Diebus 21. et 22. Maii in Zaborów,
6. Diebus 23. et 24. Maii in Szczurowa,
7. Die 25. Maii in Strzelce wielkie,

8. Die 26. Maii in Uście solne,
9. Die 27. Maii in Cerekiew et
10. Diebus 28. et 29. Maii in Okulice.

Durante visitatione omnes P. T. Sacerdotes dioecesani sumant — permittentibus rubricis — quotidie in Missa collectam: *de Spiritu sancto.*

L. 2924.

Święcenia wyższe.

W dniu 6. czerwca b. r. mają przyjąć święcenia na dyakonów, a w dniu 29. tegoż samego miesiąca święcenia kapłańskie następujący subdyakoni i alumni Naszego seminaryum duchownego: Brożek Roman, Firlej Rudolf, Gac Andrzej, Gawenda Antoni, Janas Franciszek, Oleksik Antoni, Opoka Jakób, Sandecki Tomasz, Śledź Józef, Waleń Józef, Zalasiński Andrzej i z zakonu OO. Cystersów Stano Władysław. Polecamy, by P. T. Rządcy parafij po kazaniu w dniu 2. i 28. czerwca b. r. ogłosili z ambon nazwiska tych kandydatów i polecili ich modlitwom wiernych, by jak najgodniej przyjęli święcenia i jak najwierniej pełnili posługę kapłańską.

L. 2313.

Polecenia.

Wierzę. — Wolny wykład Składu apostolskiego, wydał X. Błażej Łaciak, proboszcz w Bukowinie (p. Poronin) dyecezyi krakowskiej. Książka ta pojawiła się drukiem bieżącego roku i zawiera na 498 str. 66 nauk praktycznych i popularnych. Polecamy ją przeto P. T. Duchowieństwu jako pożyteczne dzieło do nauk ludowych. — Cena egzemplarza wynosi 4 Kor. 60 hal. już z przesyłką, płatną czekiem pocztowym do egzemplarza dołączonym. — Zamawiać można wprost u Autora w Bukowinie p. Poronin.

L. 2918.

Dobry Pasterz. Pod tym tytułem wychodzi w Naszej Dyecezyi miesięcznik jako organ „Apostolskiego Związku kapłanów“, przez Nas zatwierdzonego, Zeszyty, wydane dotąd, zajmują się życiem duchownem kapłana, od czego przedewszystkiem powodzenie jego w pracy zależy; podają także wypadki i wskazówki dla pracy duszpasterskiej. Jak dotąd, pismo to zasługuje na korzystną ocenę i dla wszystkich Kapłanów może być pożytecznem; dlatego je życzliwości P. T. Duchowieństwa Naszego polecamy.

Adres redakcyi i administacyi: Tarnów, seminaryum duchowne. Prenumerata roczna 3 Korony.

Mutationem inter Venerabilem Clerum.

Nominati: P, T. Dni Dr Mysor Ladislaus, Iudex surrogatus Tribunalis dioecesani pro causis matrimonialibus, Iudex eiusdem Tribunalis et Dr Stanczykiewicz Jacobus, Professor Theol. pastoralis in Seminario diocessano, Iudex surrogatus Tribunalis dioec. pro causis matrimonialibus.

Praesentatus: R. D. Put Josephus, Cooperator ad Ecclesiam cathedralem et parochialem, ad beneficium curatum in Szczawnica.

A Sacris suspensus: R. D. Kaczmarczyk Josephus, antea Coop. in Bolesław.

Piis ad aram precibus commendatur:

Anima p. m. Białkowski Francisci, Presbyteri emeriti, qui die 3. Maii a. c. pie in Domino Tarnoviae obiit.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 3. maja 1914.

Ks. Dr Władysław Mysor
Kanclerz.

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie.